

Q. h. 541, 70

XXXVI

X 186 3002

II h  
294

# MULLIER HOMO!

ANNO M DC XC.



MILITUM  
HOMI

107

ANTICMEX



pu  
&  
ca  
h  
S  
D  
c  
s  
n  
e  
T  
r  
r  
r





# MULIER HOMO.

**S** Parsus est tractatus hinc inde cui  
titulus MULIER non HOMO.  
Ipse interim Autor sibi cavendum  
ratus, nomen suum studio sup-  
pressit, ut eam, quæ vulgato scri-  
pto suo esset secutura, fabulam tutus spectare  
& ridere posset. Conatur autem impurus iste  
canis ostendere, non solum quod mulieres  
homines non sint, sed & alia longè teteriora.  
Sive joco id faciat; sive seriò, nihil est coram  
DEO discriminis; cum nefarium sit de fidei  
capitibus Academicorum in modum ἀμφοτερι-  
ζου: impium porrò & flagitiosum, velle per  
risum jocumq; torquere scripturas sacras ad  
ejusmodi astruenda paradoxa, quæ adorandæ  
Trinitatis articulum, quæ Deitatem Salvato-  
ris Christi, quæ humanam ipsius ex homine  
nativitatem, quæ opus redemptionis pro ho-  
minum genere, seu viri illi sint seu foeminæ,

præstitum, quæ porro baptismum foeminis  
collatum, communionem illarum cum Chri-  
sto, resurrectionem, ex mortuis in novissimo  
die, perpetuamque salutem convellunt. Qui  
in his tam arduis, tamque divinis & transcœ-  
lestibus rebus lusum ingenii sui ostentare, &  
sempiternæ salutis hominum mysteria Pyr-  
rhoniorum in modum ridere, cæterisque fari-  
næ hujus illusoribus deridenda propinare sata-  
git: næ is ad prodigium usque impius omni-  
que timore Dei penitissimè vacuus sit oportet.

Quanquam autem maledicus ille liber  
indignus planè est, cujus refutationi ullus im-  
pendatur labor: & quamvis pii & ingenui  
adolescentes sponte tales *περατολογίας* averlantur  
& execrantur: tamen quia in hac multiplici  
ingeniorum varietate reperiuntur aliqui, qui  
illiberalibus hisce jocis fannis & irrisionibus  
sibi mirificè placent: & hæc exempla Juven-  
tutem, cujus nondum est confirmatum de  
tantis rebus iudicium, invitant ad confimi-  
lem *κυβείαν* *ἢ* *πανουργίαν*, quibuscunque excogi-  
tatis strophis eludendi, quæ in scriptura dicun-  
tur, propè omnia: quin etiam, quia non igno-  
ramus, solere aliquos inde capere occasiones  
vexandi sexum muliebrem, quasi non sint in

ho-

hominum ordine, & proinde nec in eorum numero, ad quos Christus cum merito & beneficiis suis pertineat: quæ sanè in his frementis ac frendentis Satanæ furoribus est periculosa vexandi ratio, cum alioquin malignus iste spiritus nobis miseris hominibus, inprimis etiam infirmo sexui foemineo, conetur præsidia necessariæ consolationis eripere, & æternæ salutis palmam intervertere: idcirco necessarium esse duximus, præmonere scholasticam juventutem, ne libellum istum plusquam famosum planeque Diabolicum emant, legantve, neve aliis legendum communicent: sed potius exemplaria, si quæ habent, supprimant & aboleant. Quantum enim chaos impietatum libello eo contineatur, vix ulla oratione satis explicari potest.

Ferendum initiò nequaquam est, quod nobilem illam creaturam DEI, quam suis ipse manibus ædificare dignatus est Gen. 2. nebulo ille in maternos cineres mingens, planeq; dignus, qui non ex matre homine, sed ex scropha nasceretur, accenset brutis animalibus animæ simul & corpore intereuntibus quòdque scribit, nusquam extare, unde originem suam traxerint mulieres, aut unde venerint.

Thef. 28.

convitium vergit non tantum in contumeli-  
am summi opificis DEI, sed etiam in humani-  
tatem Mediatoris nostri enormiter impium &  
blasphemum est: Qui cum absque virili semi-  
ne ex sola matre virgine fit natus, certe si mater  
ejus, quippe mulier, homo non est, quomodo se  
filium hominis ipse per universam Evangeli-  
cam historiam praedicat? aut num sanctissi-  
mam humanitatem ejus ex substantia anima-  
lis bruti (horrescimus ad Diaboli hujus im-  
mania portenta) sumptam esse pronunciabi-  
mus? Nam quod Mariam ait per gratiam esse  
hominem non per naturam, cavillum puti-  
dum est. Sic enim & Christus ex substantia  
matris suae natus, non per naturam, sed per  
gratiam tantum esset homo, atque sic nobis  
naturam hominibus non consubstantialis. Quod  
verum est, sublimem articulum incarnationis fi-  
lii DEI risui reproborum & infidelium expo-  
nere, eumque a fundamento diruere & evertere.

Sunt verò & alia non minus in eo scelera-  
te scripta. Maximè hoc, quod adorandae Tri-  
nitatis arcanum, & unigeniti filii DEI aeternam  
Deitatem, nunc sub Antitrinitariorum, mox  
Anabaptistarum, ut & Ebionitarum persona  
identidem petulanter vellicat & exagitat, quod  
pro-

profanæ Disputationis ipsius Theses, I. 5. II. 16. 17. 41. 45. 49. & 50. nimis evidenter arguunt: qua de causa & Ochinum Arianæ hæreseos propugnatorem, monstrum seculi nostri, Magnum Ochinum prædicat.

Flagitiosa sunt & hæc, quòd conjugii sanctam ordinationem Thesi 42. calamo scelerato damnat: quòd Evam nec ad DEI imaginem conditam, nec vas electum fuisse contendit: quod Christum ad mulieres nihil pertinere, neque Christum propter illas esse missum, nec pro iis passum, neque quæ de communione fidelium cum Christo dicuntur, attingere mulieres, ex professo contendit.

Et quis Christianus audire saltem sustineat diram hanc & execrabilem vocem: *Auditisne mulieres, Christum propter vos non esse missum? intelligitisne jam, viri, uxores vestras ad regnum cælorum non pertinere? Et innox: Auditis miserrime mulieres, quomodo Salvator noster vos vocitet? non homines sed canes, non filios sed catellos? auditisne, non esse honestum nobis filiis sumere panem, hoc est, Christum panem illum vitæ, qui de cælo descendit, & vobis dare, quæ nihil aliud estis quàm ipsissima bestia fæda. Quid ergo tantopere de salute vestra laboratis? Quis*

Thesi ai.

Thesi 12.

Quis non à Diabolo profectum arbitretur, quod fidem Cananææ mulieris (à Salvatore tantopere collaudatam) scribit esse fidem eam, quæ sit Diabolorum, qui & ipsi credant & contremiscant? quod impudenter ait, neminem sanum unquam docuisse, in muliere reperiri vivam fidem: quod insuper scripturæ loca, quæ sempiternam mulierum salutem potentissimè stabiliunt, per nequitiam plusquam aleatoriam, de corporis duntaxat sanitate, aut terrena in hoc seculo felicitate interpretatur: adeò ut etiam gloriosissimæ virgini Deiparæ beatitudinem cœlestem palàm deroget Thesi 40. dicens: *Vides Christum nolle ascribere mulieribus beatitudinem. Et si MATER ipsius non beata est, quæ illum portavit, quomodo aliæ mulieres debent salvari?*

Porro quis non obstupescat ad Diaboli prodigiosam & effrenatam audaciam, dum per hoc mancipium suum, baptismum ab Apostolis collatum mulieribus, nihilo meliorem esse gannit, baptismo campanarum? Ipsisque sanctissimis DEI servis Apostolis quasi litem movet & dicam scribit, quod Actor. 8. & 16. baptizarunt mulieres, quas **CONTRA PRÆCEPTUM CHRISTI ET VITIOSE**

Thesi 47.



TIOSE baptizatas esse nefarius iste sycophanta scriptitat.

Nec minoris est audaciæ, quod ait, mulieri peccatrici non esse remissa peccata ad animæ salutem: Quandoquidem peccata mulierum, si qua sint, nihil differant à brutorum peccatis. Item mulieres non damnari: (at verò nec salvari, sed quod reliquum est, corpore & anima brutorum instar interire] *similiter, si scrutemur scripturas, inveniri, mulieribus male facientibus ferè semper benedici & propterea laudari quod malefecerint.*

Et deniq; horrendum est auditu, si vel joco tantùm dicatur, *Sadduceos ideò errasse, quod stolidè putarint, mulieres resurrecturas, cum nihil in scripturis de earum salute contineatur.* Quemadmodum & hoc, quod contra testimonium sanctorum Evangelistarum fuerit ista bestia, filiam Jairi è mortuis resuscitatam non esse, *siquidem Christus ideò dixerit, illam non esse mortuam sed dormire, ne fortè mulieres hinc exemplum capientes resurrectionem etiam ad se pertinere existimarent.* Item quod *servus Jairi suo ad herum sermone significavit, puellis vel fœminis semel mortuis frustra Christi auxilium implorari, cum nec in novissimo die sint resurrectura.* B Verum

Verum sit finis blasphemiarum, quæ fulmine potius, quàm calamo refutandæ sunt: imò quas nudis verbis recitare est refutare. Constat enim, ut de primo agamus primùm, mulieres omninum gentium & populorum assensu pro hominibus semper esse habitas, quod vel sola illa Servii, Sulpitii vox de Tullia Ciceronis filia quam hominem natam fuisse perhibet, abundè comprobat: idemq; recepta & omnium Philosophorum calculis approbata definitio hominis ostendit, & res ipsa declarat, & ratio suffragatur, & divini verbi testimonia (Gen. 1. & 5. Num. 31. 1. Pet. 3. & alibi) demonstrant, & ipsa deniq; periphrastica Salvatoris nostri notatio, qua filius HOMINIS in scriptura Prophetica simul & Apostolica nominatur, locupletissimè confirmat.

Sed & de foeminei sexus redemptione & salute tantillum dubitare nefas est. Christus, qui pro totius mundi peccatis propitiatio est, erit utique & mulierum Salvator. Mulier (inquit Apostolus) seducta, obnoxia facta est transgressioni: SALVA tamen fiet per generationem liberorum, id est, generatione liberorum saluti illarum nihil obstante. Eadem enim est phrasis, quæ & de Abrahamo legitur, quòd  
justi-

justificatus sit, per præputium, id est, in præputio, nihil videlicet obstante justificationi ipsius præputio.

Similiter Gal. 3. Omnes filii DEI estis, eò quod credidistis Christo JESU. Nam quicumq; baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus neq; Græcus: Non est servus neq; liber: Non est masculus ac foemina. Omnes enim vos unus estis in Christo JESU. Quid clarius dici poterat, quàm quod hic perhibet Apostolus, in regno Christi nullam haberi rationem diversitatis, sive nationis, sive conditionis, sive sexus, sed ad baptizatos & credentes omnes, Judæos & Græcos, liberos & servos, masculos & foeminas pertinere beneficium *ἰσοθερίας*, & esse illos simul omnes in Christo Jesum unum. Quamobrem & Prophetæ in prædicendo statu Ecclesiæ Novi Testamenti palàm affirmant, Ecclesiam Christi collectum iri ex viris pariter & mulieribus. Ecce, dicit Dominus, levabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in ulnis: & FILIAS tuas super humeros portabunt.

Rursum Esa. 60. acclamatur Ecclesiæ Novi Testamenti: Filii tui de longè venient, & FILIÆ tuæ de latere surgent. Sic Joëlis 2. dicit

Dominus: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filii vestri, & FILIÆ vestræ senes vestri somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt. Sed & super servos meos & ANCILLAS in diebus illis effundam spiritum meum. Quemadmodum non solum Diva Maria virgo fuit habitaculum obumbrantis eam Spiritus sancti, & ipsiusmet unigeniti filii Dei templum sanctissimum: verum etiam Elisabetha Baptistæ mater Spiritu sancto repleta scribitur, Luc. 1. Qui Dei spiritus haud rarò sese clarioribus indiciis profert in foeminis, quàm in viris: sicut Diva Rebecca sententiam Dei de primogenituræ privilegio, quod divinitus assignandum erat filio natu minori lucidius intellexit, quàm Isaac.

Imò non dubitat docere Petrus, mulieres Christianas sancta conversatione posse viros suos (adhuc à fide alienos) etiam absq; sermone lucrifacere 1. Pet. 3. Ideoq; & Paulus consulit, ne fidelis soror dimittat infidelem maritum: quî namque scis, inquit, mulier, an maritum sis servatura: 1. Cor 7. Cumq; spiritus Dei non nisi animas sanctas & beatas inhabitet Sap. 1. videmus illum etiam mulieres divino afflatu sic agitasse, ut Prophetico dono in Dei populo

lo eminent & excelleret. Quod apparet  
exemplis Mirjam sororis Prophetæ Mosis, De-  
boræ & Huldæ.

Generatim verò foeminis Deum timentibus hoc elogium tribuitur, quod ELECTÆ dicuntur. Neque hîc solius Siracidis nitimur testimonio, sed etiam secundæ Epistolæ Johannis, ubi Johannes eam, ad quam scribit, Dominam itidem ELECTAM nuncupat, quam ibidem in spem certam consecutionis vitæ æternæ erigit. Et quid in hac de paterno DEI favore in mulieres, luculentius esse queat illo Apostolico pronunciato longè gravissimo 2. Corinth 6. Exite de medio illorum, & separemini ab illis, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego suscipiam vos, & ero vobis loco PATRIS, & vos eritis mihi vice filiorum & FILIARUM, dicit Dominus omnipotens.

Maximè verò quod attinet quæstionem de æterna mulierum salute, vel solum colloquium Christi cum Martha habitum, luculenter edocet, Dominum JESUM ipsam in fide futuræ resurrectionis ad vitam æternam efficacibus verbis confirmare. Joh. 11. Quid, quod Samaritanæ mulieri ait; Si scires donum Dei, & quis fit,

fit, qui dicit tibi: da mihi quod bibam: tu peti-  
isses ab eo, & DEDISSET TIBI (mulieri)  
AQVAM VIVAM. quam aquam vivam i-  
psemet de aquis in vitam æternam salientibus in-  
terpretatur. Joh. 4. Nonne verò & Paulus me-  
minit Evodiæ aliarumque foeminarum, quæ in  
Evangelio decertarint, easque reponit in classem  
earum personarum, quarum nomina scripta sint  
in libro vitæ. Phil. 4.

Jam cum in disputatione de Resurrectione  
mortuorum & statu alterius seculi Sadducæi  
objicerent exemplum de uxore, quæ septem vi-  
ris ordine nupserat: Christus responso suo non  
obscure indicat, eos, qui in hoc seculo matrimo-  
nium inierant, & eas, quæ maritis nupserant,  
in vita altera nec matrimonium contracturos,  
nec nupturas esse, sed fore similes angelis DEI  
in coelis. Et de suo ad judicium adventu disse-  
rens perspicue testatur, futurum, ut DUÆ tunc  
sint in mola, quarum una sit assumenda, altera  
verò relinquenda.

Hæc adeò sunt firma & indubitata, ut Chri-  
stus etiam de meretricibus [sed resipiscentibus]  
enunciet, illas præcedere in regno coelorum Scri-  
bas & Phariseos Matth. 21.

No-

Nolumus texere prolixum catalogum fan-  
ctarum foeminarum, quarum in Biblica Histo-  
ria fides in DEUM & JESUM CHRISTUM  
mirificè prædicatur. Nimis enim longum fo-  
ret omnia singulaq; persequi, quæ in sacris lite-  
ris leguntur de Eva, & Sara, Rebecca, Rahele,  
Mirjam sorore Mosis totoque choro mulierum  
Israelitarum laudantium Dominum ob ever-  
sum Pharaonem ejusque exercitium, de Anna  
quoque Samuelis matre, de Abigail, de Suna-  
mitide, de vidua Sareptana, de Iosabed Jodadæ  
sacerdotis uxore, de Anna prophetissa, de Pri-  
scilla, quæ in via Domini erudiit Apollon, & cer-  
vicem suam pro vita Apostoli Pauli supponere  
non dubitavit, de matre unâ cum septem filiis  
celeberrimo martyrio coronata; de innumera  
multitudine beatarum foeminarum atque virgi-  
num, quæ propter nomen Domini Jesu Chri-  
sti exquisitissima tormenta, sub indubitata spe vi-  
tæ æternæ perpeti minimè exhorruerunt.

Non dignus est (fatemur) ille nebulo qui tam  
refutetur accuratè, quando quidem res ipsa per  
se apud omnes verè Christianos extra dubitan-  
di aleam est posita, nisi quod Satanas etiam  
ea, de quibus dubitatum nunquam fuit, his  
novissi-

95  
117  
294

novissimis temporibus in disceptationem vocare tentat. Quemadmodum neque perversiones dictorum scripturæ, quibus detestandum in modum abutitur, ullam merentur refutationem. Cùm enim ex jam dictis constet de re ipsa: corruptelæ illæ sponte concidunt & in nihilum evanescent.

Propter studiosos hæc visum fuit proponere, quos iterum atque iterum hortamur, ut secuti præceptum Apostolicum ab hujusmodi profanis dicteriis & illepidis vexationibus sibi temperent. Paulus Apostolus vult etiam joculam dicacitatem à Christianis alienam esse. Ephes. 5. nedum periculosam illam jocandi vexandique rationem, cum horribili depravatione scripturarum conjunctam. Memores simus gravissimæ sententiæ Christi: Dico vobis, quo de unoquoque verbo ocioso, quod locuti sunt homines, redditori sunt rationem in die judicii. Matth. 12.

*DEUS æternus Pater liberatoris nostri Jesu Christi reprimat furores Satanae & mundi, nosque in veritate verbi sui sanctificet & servet in perpetuum.*

F I N I S.

1077  
200



